

tet; — 6) operarii aliquando morbo, infirmitate, senio confecti, a labore detinentur, nec tamen ideo fame perimendi sunt; — *e.* ex lege naturali nequeunt talem contractum exclusivum inire, sed semper adest voluntas et jus suis officiis fungendi et media ad id comparandi, nec nisi vi et contra jus ab his arcentur et impediuntur.

Ad min. Istis officiis si utrinque attendatur, ipso facto non hostilis sed amica omnium conspiratio erit in finem communem, pacem et proportionatam cujusque secundum suam conditionem prosperitatem; — non quidem erunt subito crescentes in immensum fortunae aliquorum, sed nec subitae tantae ruinae, tantique plurimorum dolores et odia.

Coroll. 1^m Ergo quum proletarii soleant imprudentiores esse, patronorum est operarios consilio, directione, protectione adjuvare: 1) ut sibi utilia quoad victum, vestitum, habitationem, sana et commoda procurent; — 2) ut inutilem vel noxium luxum vitent, bona sua vane ne consumant; — 3) ut provida parsimonia in futurum sibi et familiae aliquid seponant; — 4) ut pueros educatione congrua donent. — Quae si patroni fecerint, sibi etiam ipsis utilem impendent operam, qua socialismi et tumultuum tollantur causae.

Coroll. 2^m Ergo patronorum est: 1) ab operariis non nimium laborem supra vires, vel nimis diuturnum laborandi quotidianum tempus exigere, — 2) feminas parum nec nisi ad faciliora adhibere, et quantum fieri potest ita ut potius domi laborent, — 3) pueros non ante satis adultam aetatem et sufficientem educationem ad laborem, praesertim in magnis officinis communibus, adire, — 4) mercedem operariis sufficientem dare, qua patres familias alere possint quin durius feminae et pueri laborare teneantur, — 5) non subito ob lucri aliquam crisin et mutationem otiosos dimittere, quo fiat ut, etiam dum laborent, continua diffidentia et inquietudine agitentur, — 6) assecurationem aliquem procurare operariis contra morbos, infirmitates, senium.

Coroll. 3^m Patronos ad hoc suum officium implendum ipsa *caritas* (christiana praesertim) et lex naturalis impellere et dirigere deberet. At quum haec in nostrae naturae malitia non sufficiat, *corporationum* id munus naturale est, quae pro variis hominum et locorum concretis adjunctis, concreta media practica optime eligere et applicare possunt. Atque hoc in bene ordinata societate sufficit. In nostris vero societatibus modernis, deficiente naturali illo organo, auctoritatis civilis munus est ut illud quantum necesse est suppleat, cavendo tamen ab omni immediata immixtione et a centralisatione. Quod quum vix fieri possit, optandum videtur, et a plurimis passim optatur, ut corporationes instaurentur. Ipsa autem haec corporationum institutio et conservatio non privatis aliquorum viribus effici potest, sed publici legislatoris voluntate promoveri debet.

Coroll. 4^m Ergo ad sanandam socialismi plagam hodiernam, et socialem quaestionem solvendam, utiles quidem sunt associationes bonae *operariorum inter se*; at minime hae sufficiunt, sed debent *inter patronos et operarios* confraternitatis vincula stringi qualia in veris corporationibus olim existebant.

CAPUT III.

DE SOCIETATE CIVILI.

Altera haec societas humana explicanda nunc est; circa quam tota investigatio ad quatuor istas quaestiones reduci posse videtur, ut quae hujus societatis, quae ejusdem supremae auctoritatis sit natura, qualis in ea sit desideranda ordinatio, quae variae constitutiones esse possint. Unde sint:

Quaestio 1. De natura societatis civilis.

Quaestio 2. De natura auctoritatis supremae civilis.

Quaestio 3. De ordinatione societatis civilis.

Quaestio 4. De variis constitutionibus societatis civilis.

QUAESTIO 1.

De natura societatis civilis.

Naturam istam non melius exponemus quam si de societatis origine, fine essentiali, intima structura dixerimus.

Articulus 1. De origine societatis civilis.

Articulus 2. De ejus fine.

Articulus 3. De ejus intima structura.

ARTICULUS 1.

De origine societatis civilis.

Propositio 138.

Societas civilis est homini naturalis.

Stat. quaest. 1) *Societas civilis* intelligantur coetus illi quibus multae inter se familiae copulantur ad procurandum bonum commune praesentis vitae universale, et qui constituunt illas associationes quas vocant civitates, respublicas, regna, imperia.

2) Post ea quae in propositione 117 dicta sunt contra Rousseau et Hobbes, de sociabilitate naturali humana in genere, jam alia nunc quaestio particularis manet, utrum societas civilis una ex illis sit ad quas homo natura sua inducitur; eoque sensu eam dicimus esse naturalem.

Prob. Naturalis homini status ille est in quo 1) melius consulitur tum explendis singulorum necessitatibus naturalibus, tum juribus a malevolorum injuria tuendis, — 2) facilius et plenius procuratur perfectio naturalis et evolutio facultatum, — 3) perfectius satisfit benevolentiae mutuae hominibus innatae; — *a.* talis est status in societate civili; *e.*

Ad maj. Omnis natura inclinatur ad id quod subjecto bonum est.

Ad min. 1 part. (necessitatibus). In societate melius prospicitur : a) singulorum *necessitatibus physicis* : mutuo commercio et collata plurium opera, plurima suppeditando media et remedia quae nec in vita solitaria nec in vita mere domestica inveniri possent ; — b) et *moralibus necessitatibus* : ex multarum familiarum consortio facilius, plenius, determinatius cognosci possunt jura, officia, mores, servari et amari cultus externus Dei splendidior, ac proinde augeri et confirmari amor et cultus internus ; — c) *defensioni jurium* : auctoritate publica certius et perfectius jurium laesio vel praepeditur, vel vindicatur, et restauratur ordo.

Ad min. 2 part. (evolutio facultatum). Ad progressum scientiarum et artium tum liberalium tum mechanicarum, requiritur divisio laboris et concursus multorum ingeniorum, stabilitas contentionis, harmonica conatum ordinatio, debita securitas ; a. haec omnia facilius et plenius, imo vix non exclusive in societate civili inveniuntur ; e.

Ad min. 3 part. (benevolentiae mutuae). Haec benevolentia : a) in eo sita est quod homo egenis opem ferre naturali propensione cupiat, et propriae felicitatis fructum, saltem citra proprium incommodum, omnibus communicare, tum quoad bona materialia tum quoad spiritualia ; — b) aptissimum instrumentum in homine habet : facultatem loquendi, qua omnimode sua inter se communicent homines, iique non pauci tantum in coetu domestico, sed et facillime et jucundissime plurimi simul ; — a. ita duce natura homo ducitur ad societatem non solum domesticam, sed et civilem plurimarum familiarum ; e.

Confirm. Ex facto historico, constanti et universali.

Objic. In statu mere domestico vita innocentior et felicior fuisset ; — nam a) in statu civili multae excitantur cupiditates quibus satisfieri nequit ; — b) plurimis vitiis occasio datur ; — c) luxus et superbia fovetur ; — d) bello plurimi pereunt ; — e) ab injustis vel superbis dominis plebs misere vexatur. — R. n. ass. — *ad prob. d.* haec omnia ex societate civili per se, n ; per accidens, sed minora quam sine illa, e.

Propositio 139.

Necessitas societatis civilis respicit ita genus humanum, ut non omnes et singuli ex praescripto naturae in ea permanere teneantur.

Stat. quaest. 1) Quaeritur de causa morali societatum civilium, seu quid homines impulerit ut has naturales societates inirent.

2) Alii dicunt, cum Hobbes et J. J. Rousseau, non ex natura sed ex libera pactione contra naturam, fuisse initam societatem ; sed contra hoc satis supra. — Alii dicunt societatem civilem esse obligatoriam et ab ipsa natura praescriptam generi humano, non tamen singulis hominibus ; — alii : eam non esse obligatoriam sed solum ita naturalem ut ad eam homines sponte inclinentur ; — dicimus eam non quidem ortam esse ex obligatione stricta,

quae singulos homines ligaret ; nec tamen ex mera inclinatione naturali cui potuisset genus humanum resistere ; sed ex vera aliqua naturae necessitate pro genere humano communiter sumpto.

Prob. 1^a pars (Necessitas generi humano). Ex vera naturali necessitate (morali), genus humanum ita propagatur in multitudinem familiarum, ut istae nequeant non aliquando multae simul in eadem regione versari ; a. tunc necessaria illis fit societas civilis ; e.

Prob. min. Si tunc nulla esset auctoritas communis : 1) nulla esset possibilis pax diuturna, nullus ordo et observantia jurium mutuorum, propter corruptionem naturae nostrae ; — 2) non possent singuli simul sibi suisque defendendis sufficienter providere, et necessaria comparare ad victum, vestitum, utensilia, etc. sine aliorum ope, propter varia variis competentia proprietatum jura... ; — 3) nec artes et scientiae, in tanto hominum consortio necessariae, possent a singulis inveniri et excoli ; e.

Prob. 2^a pars (non singuli tenentur). Id solum est singulis et omnibus obligatorium, sine quo finis ultimus, absolute necessarius, obtineri nequit ; a. etiam extra societatem civilem possunt singuli homines ordinem moralem servare, et finem ultimum obtinere ; e.

Ad min. Ad ordinem moralem servandum sufficit ut homo ratione utatur, non quidem perfecte, sed aliquatenus evoluta quantum opus est ad legem naturalem cognoscendam ; a. haec evolutio in societate mere domestica obtineri potest ; e.

Coroll. 1^m Ergo potest quis e societate egredi in qua natus est, nisi speciali iustitiae debito erga eam adstringatur.

Coroll. 2^m Ergo potest quis segregatus ab omni societate civili vivere, nisi obstat aliqua personalis obligatio cui solitarius satisfacere nequeat.

Coroll. 3^m Non tamen potest homo renuntiare omni socialitatis vinculo, quia hoc est ei essenziale ; ergo etiam solitarius debet, si per facta accidentalia cum aliis in contactum veniat, officia humanitatis erga eos exercere.

Objic. 1^o Societas civilis est medium ad finem a Deo intentum ; e. omnibus obligatorium. — R. d. ant. medium unicum, n ; melius, sd. semper, n ; ordinario, e.

Objic. 2^o Ista singulorum licentia possibilem reddit omnem societatis civilis cessationem ; a. natura et Deus ipse vult societatem ; e. — R. d. maj. nisi ipsa natura provida plurimos impelleret ut in societate manerent, et non nisi pauci extra eam sibi sufficiant, c ; secus, n.

Propositio 140.

Origo societatis civilis in concreto pendet a facto contingente et humano tanquam a causa occasionali.

Prob. Videmus diversitatem inter varias societates civiles ; a. haec nulla esset si solius naturae ductu formatae essent societates ; e.

Ad maj. Diversitas de facto est quoad numerum et dispositionem civium; quoad formam regiminis; quoad singulorum libertatis restrictionem, leges, sanctiones; quoad relationes inter varios civium ordines.

Ad min. Natura, quoties sola influit, constans et universalis est in sua formatione.

Coroll. 1^m Ergo causa proxima occasionalis, qua homines vel hominum familiae determinarentur ut hic et nunc societatem civilem constituerent, potuit saepe esse familiae propagatio, qua propter angustiam domus paternae, et amorem inter fratres ac necessitatem mutui auxilii, constituti sint vici, mox civitates, deinde natio integra; — potuit esse mutua plurium familiarum non cognatarum benevolentia, convenientium in eundem locum; — vel adventus extraneorum in terram ab aliqua familia jam occupatam (ut in coloniis); — vel alicujus hominis potestas et ambitio, qua familias a se independentes sibi subjicere voluerit; — vel alia hujusmodi.

Coroll. 2^m Ergo societas civilis naturalis quidem, sed non immediate naturalis est, i. e. proxime et determinate ab ipsa natura totaliter constituta et ordinata (sicut societas domestica cujus omnia proxime et in specie quoad regimen et formam constituta et determinata sunt), sed est mediate naturalis, i. e. cujus finis et indoles a natura determinantur, reliqua vero in genere tantum, ac liberae hominum dispositioni specificanda permittuntur.

Propositio 141.

Causa efficiens proxima constitutiva societatis civilis, est consensus hominum saltem tacitus.

Stat. quaest. 1) Ex praecedentibus jam constat; causam societatis civilis efficientem remotam, esse ipsam naturam humanam; causam moralem, quasi instrumentalem, qua homines ad societatem inducat natura, esse necessitatem genericam, non obligationem universalem; causam occasionalem proximam esse varia facta humana contingentia; — restat quaestio de causa efficiente proxima determinatam particularem societatem ultimo constituyente.

2) Respondemus cum scholasticis responsum generale, nihil praesupponendo de statu praecedente historico et de causa occasionali aliqua determinata. — In hoc differimus a Puffendorff qui determinate supponit, ante pactum in societatem convenientium, exstitisse de facto familias plures dispersas et independentes (quem vocat statum naturae), quorum patres aliquando pactum unionis, deinde decretum de forma regiminis, postea pactum subjectionis confecerint; quae pacta per singulos deinceps acceptanda sint, ita ut si quis in ea non consenserit, is naturalem suam libertatem retineat, etiamsi in societatis hujus territorio maneat, ac proinde societatis hujus protectione, pace, commodis fruatur.

3) Neque quaeritur utrum in formatione societatis civilis consensus liber

exstiterit: id enim est evidens, nisi quis vellet homines fuisse ratione carentes, vel caeco instinctu physice ductos; — sed quaestio est utrum ille liber consensus sit causa proxima efficiens.

4) Nihil obstat necessitas moralis de qua supra (prop. 139), quominus tamen physice liber sit ille consensus; — neque necessario debuit ille consensus per contractum solemnem vel explicitum praestari, sed sufficiunt actus physice liberi, quibus implicitus ille consensus contineatur, ac jus consuetudine fundet.

5) Potuit etiam ille consensus esse vel directus in civilem unionem sub aliquo duce communi, vel indirectus, nempe directe bona alia privata et particularia intendens, indirecte deinde ad bonum commune et publicum extensus.

6) Differt essentialiter ille consensus primitivus qualem Scholastici admittunt, a pacto sociali, quale J. J. Rousseau, eo praecipue quod a) non praesupponit statum naturae solivagum silvestrem, cui contrarius sit status socialis, b) non concludit consensum illum esse fundamentum ultimum omnium jurium et officiorum, et moralitatis totius.

Prob. Illa est causa efficiens proxima societatis civilis, quae multas familias inter se unit, non quidem unione quacumque caritatis vel justitiae, sed in unionem tendentiae communis in bonum commune, et quidem sub auctoritate una; — a. a) talis unionis nulla alia causa sufficiens proxima naturalis excogitari potest, b) vere sufficiens est consensus supra descriptus, c) historiae testimonio conformis est, nedum contradicat; e.

Prob. min. 1 part. (nulla alia naturalis). Haec esset: 1) coexistentia plurium familiarum, spectata simul sociabilitate naturali humana, — 2) vel vicinia loci, unitas territorii, — 3) vel familiarum cognatio, — 4) vel origo ab uno communi patriarcha; — 5) vel coactio multis illata; — a. haec omnia possunt quidem fuisse causae occasionales, sed non sufficiunt ad causam efficientem proximam habendam; e.

ad min. 1) (non coexistentia). Per hanc est quidem inter omnes homines societas benevolentiae generalis, sed non determinatae et variae civitates particulares.

ad 2) (non vicinia). Haec indeterminata mensura indeterminatum effectum, non determinatas varias civitates produceret; — et varias quidem relationes jurium et officiorum mutuorum induceret, sed non determinatam communem tendentiam in bonum commune qua tale.

ad 3) (non cognatio). Haec est fundamentum pietatis mutuae et amoris specialis, tendit ad bonum particulare privatum, non ad vinculum sociale publicum, ad auctoritatem communem, et bonum commune qua tale.

ad 4) (non origo communis). Haec auctoritatem patriarchae in familiam fundat, sed: a) tendit in bonum privatum, — b) auctoritatem patriarchae decrescentem cum prolium aetate, non perpetuam et necessariam ac uniformem confert, — c) nec patriarchae in nepotes potius quam immediatis

parentibus confert (nisi supponantur omnes in eadem domo cohabitantes, quod certe perpetuum non erit), — d) confunderet naturam societatum domesticae et civilis, quae tamen valde differunt.

ad 5) (non coactio). Haec per se nullum fundat jus, sed si sola est, injusta est, neque obligationem imponere potest; quod vero aliquando possit adesse obligatio coactioni etiam injustae cedendi, et consensum praestandi, hoc non ex coactione per se, sed per accidens oritur, sive ex collisione aliqua jurium.

Prob. min. 2 part. (consensus sufficit). Illa est causa immediata sufficiens societatis civilis, quae 1) proxime et concrete determinat quot et quibus hominibus debeat esse publica prosperitas communis, — 2) istos efficaciter impellit ad media huic prosperitati communi apta praestanda, — 3) eorum collectioni jus tribuit a singulis exigendi quae ad finem communem requiruntur; — *a.* per consensum circa prosperitatem omnibus communem stabili cooperatione obtinendam, haec omnia obtinentur; *e.*

ad maj. Si haec tria obtinentur, ipso facto habebitur certa multitudo certis mediis communibus ad certum finem communem, eumque civilem, certa communi actione tendens; *a.* haec est societas civilis; *e.*

ad min. 1) (determinat quot et quibus...). Ipse determinatus consensus est accessio consentientis ad hanc multitudinem; *e.*

ad 2) (efficaciter impellit). Consensus ille moralem necessitatem, i. e. obligationem, fidelitatis consentienti imponit ad ea omnia quae in tali consensu implicite continentur et necessaria connexionione ex eo sequuntur; *a.* haec est praestatio mediorum...; *e.*

ad 3) (collectioni jus tribuit). Hoc jus omnium correspondet obligationi a singulis consentientibus assumptae; *e.*

Prob. min. 3 part. (historiae conforme). Repugnantia concludi deberet aut ex silentio historiae circa hoc pactum, aut ex aliis factis historicis; *a.* neutrum valet; *e.*

ad min. 1) (non ex silentio). Contra pactum quale asserit J. J. Rousseau, valet quidem argumentum negativum, quia hoc tantum factum, tam solemne, tam naturae contrarium, tam omnia invertens, tantos effectus: jura, officia, moralitatem producens, historia silentio premere non potuisset; at contra nostrum consensum nihil valet, quia ad rem tam naturalem, tam necessariam, tam obviam, omnia ducebant, nec quidquam essentielle fuit mutatum.

ad 2) (non ex aliis factis). Antiquissima historiae facta ostendunt multas diversitates societatum, et morum, et constitutionum; *a.* haec consensum nostrum minime negant, sed potius supponunt; *e.*

ARTICULUS 2.

De fine societatis civilis.

Propositio 142.

Finis societatis civilis non est mutua coarctatio et harmonia libertatis Kantiana.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quis scopus sit, ob quem societas civilis existat, seu quod bonum sit circa quod conspirent membra societatis, et ad quod consequendum ipsa societas constituta sit. — Magni momenti quaestio, quia a) nisi finis recte cognoscatur, dirigi sapienter nequit operatio socialis, nec recte definiri quo potestas civilis spectare debeat, — b) inde repetendum criterium quo perfectio cujusque societatis dijudicetur, — c) haec erit mensura jurium et officiorum potestatis civilis, iisque limites statuet.

2) Respondet Kant, et multi cum eo rationalistae: a) ratio postulat ut homini tribuatur absoluta independentia, plena libertas voluntatis, ita ut voluntas se *mere a priori* ad operandum inflectat, i. e. propter solam legem rationis, remotis quibuslibet impressionibus empiricis; — at hae impressiones duplicis generis sunt: aliae internae, ab appetitu et affectibus animi; leges autem quae internam libertatem tutantur, et coactionem important ab homine sibi ipsi inferendam, pertinent ad *moralem*; — aliae sunt impressiones externae, quae a vi humana nostram actionem impediendo procedunt; leges autem libertatem externam respicientes et coactionem aliorum jubentes, constituunt *jus*;

b) inde finis societatis civilis est efficax procuratio coexistentiae libertatis singulorum cum libertate omnium. Sed haec est illimitata, omnibus competens, circa omnia; ergo ne bellum inter homines oriatur, ratio exigit libertatem singulorum sic restringi ut simul constare possit cum libertate aliorum. Huic *principio coexistentiae* singuli homines, sine vi publica cogente, vix obtemperarent;

c) ergo finis societatis civilis est *mere negativus*: cavere ne exercitium libertatis unius impediatur exercitium libertatis aliorum, et ad hoc aequaliter omnium libertatem coarctare.

Prob. Rejicienda est sententia quae 1) in falsis fundamentis nititur, 2) falsum asserit, 3) ad absurda ducit; — *a.* talis est sententia Kantiana; *e.*

Prob. min. 1 part. (falsis fundamentis). Haec sententia supponit: a) absolutam autonomiam rationis, quae sola propter se ultimo sit finis et dux omnis moralitatis, — b) distinctionem realem et separationem, inter moralitatis ordinem, ex motivis *mere subjectivis*: formis a priori, et omnes determinationes ac motiva experimentalia, i. e. ipsi homini externa, et cognita per objecta et ordinem existentium praeter ipsum hominem, in quibus nulla sit

moralitas, — c) libertatem externam per se spectatam carere limitibus a parte rei et in concreto; — a. haec singula sunt falsa; e.

Prob. min. 2 part. (falsum asserit). Finis societatis civilis Kantianus est mere negativus, solam remotionem impedimentorum libertatis, et cessationem conflictus inter voluntates hominum importans; a. iste non est totus finis societatis; e.

ad min. Iste finis si solus intenditur, aut nullam communem tendentiam infert socialem, sed praeter effraenum libertatis abusum, mutuamque injuriam, nullo vinculo, nulla communi conspiratione, nulla communi activitate, singulos sibi permittit, et in individualismum sine ullo ordine abit; — aut aliquam communem activitatem, sed hanc sine ullo criterio vel limite, importat, et in despotismum etiam extremum ruit; e.

Prob. min. 3 part. (ad absurda). Ex hac sententia sequeretur: a) nihil in societate prohiberi posse quod principio coexistentiae non officiat, v. c. suicidium, blasphemiam, sacrilegia, publica scandala, pactiones utcumque turpes mutuo consensu initas, divortia, polygamiam; — b) integre separandam esse societatem politicam ab omni religione et ecclesia (quae moralitatem, non jus et coexistentiam respiciant); — c) societatem aut ad proprium interitum laborare debere: moralitatis progressum indefinitum fovendo, quae si quando satis perfecta fiet, jam singuli homines propria sponte coexistentiam servabunt, sine coactione externa; et ipso facto perit societatis finis et essentia; — aut ad propriam conservationem et extensionem ac evolutionem laborare debere: impediendo progressum civium in virtute et honestate morali; — a. haec omnia sunt absurda; e.

Objic. Inclinatio naturae in nobis fertur ut libertate, quantum possit, fruatur (scilicet summo bono); a. huic inclinationi melius favet sententia Kantiana; e. — R. 1) *tr. maj.* — *n. rat. add.* — *tr. min.* — *d. cons.* ista harmonia est pars finis societatis, c; est totus finis, n. — R. 2) *d. maj.* quantum possit intra ordinem rationis, c; etiam ultra, *sd.* inclinatio naturae depravatae, c; rectae, n. — *c. d. min.*

Propositio 143.

Finis societatis civilis non est bonum ipsius entis socialis formaliter sumpti.

Stat. quaest. Ad eandem quaestionem respondent antiqui ethnici et Icti, et recentiores multi politici, doctrinarii: finem societatis politicae esse bonum aliquod ipsius societatis formaliter sumptae, « bonum status » seu perfectionem entis socialis quae constat: a) multitudine majore sociorum, b) majore unitate morali hujus multitudinis, c) majore influxu potestatis civilis propter majorem numerum rerum physicarum, vel intellectualium, vel moralium, quae immediate ipsius actioni subdantur.

Prob. Societas civilis est homini naturalis ita ut a) ad eam natura duce inclinetur benevolentia mutua, b) inducatur necessitate morali generali,

c) eam de facto ineat occasione variorum factorum contingentium humanorum, d) sed effective per liberum consensum; — a. neque benevolentia mutua inter homines, neque necessitas mutui auxilii ad bonum singulorum, nec varia humana facta contingentia, nec consensus liber hominum mutua subsidia sibi quaerentium, natura sua tendentiam ad bonum non sociorum, sed societatis qua talis, entis socialis formaliter sumpti, habent vel dare possunt; e.

Ad min. Si quatuor haec inspiciantur in se et in concreto, inveniuntur intendere societatem, non absolute propter seipsam, sed unice tanquam medium ad felicitatem temporalem procurandam, et quidem tantum quantum ad eam utilis sit.

Propositio 144.

Finis societatis civilis est procuratio communis mediorum honestorum, quibus perfecte exercentur jura sociorum.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondent protestantes et post eos catholici multi: finem societatis esse remotionem impedimentorum boni sociorum, per tutelam negativam jurium eorum. Finem proinde mere negativum assignant; sed eo differunt a Kantianis, quod jura praesupponunt tuenda, non ea tuenda creant, et quod juribus officia correspondentia esse moralis ordinis admittunt.

2) Respondent scholastici finem esse bonum aliquod commune: a) temporale, negativum simul et positivum, illudque spectans ad totam activitatem sociorum, — b) quod totum quantum ordinetur ad perfectionem individuum sociorum, — c) et quod subordinetur ordini morali.

Notiones. 1) *Procuratio communis*: quae communi variarum partium societatis conspiratione perficiatur.

Mediorum: tum negativorum, i. e. remotionis impedimentorum exercitii jurium; tum positivorum, i. e. illorum quae juvare possunt ad jura exercenda, sive ut materia sive ut instrumentum.

Honestorum: nam natura rationalis per se non impellit ad societatem ob inhonestum quid procurandum.

Quibus exercentur: finis societatis non est procurare exercitium jurium, quod libero civium arbitrio relinquendum est, ne jura in officia convertantur et ordo invertatur; sed finis est solum media procurare quibus, si quis velit, suo jure utatur.

Perfekte: i. e. cumulate, ample, tum quoad facilitatem tum quoad extensionem exercitii.

Jura: cujusvis speciei, sive innata sive acquisita.

2) In notione finis societatis civilis non explicite enunciatur: procuratio mediorum ad perfecte exercenda officia, quia hoc necessario implicitum in dictis est, nam homini inest *jus* innatum et primum ad media sive necessaria sive apta ut officia exercere possit.